

prorsus incapax meriti de condigno apud Deum, propter rationem factam, quod non potest simul esse ex rigore justitiæ dignus indignatione Dei et carentia beatitudinis, et simul amorem Dei et beatitudinem de justitia mereri. Dixi autem supponendum esse peccatum auferri per habituales gratiam, et non aliter; nam si supponatur quod Deus alio modo vere auferat peccatum, tunc judicandum esset de tali homine, sicut de innocente, qui nunquam peccasset. Loquendo ergo juxta secundum sensum assertionis de homine vel Angelo innocente, existimo necessitatem gratiæ habitualis ad meritum non esse intelligendam de potentia absoluta, sed de ordinata, et attentata talium rerum natura. Ratio est, quia, supposita in tali persona conversione supernaturali ex auxilio gratiæ, solum deest tali operi quædam moralis dignitas, quam haberet ex habitudine ad personam operantem, si esset sanctificata per gratiam; hæc autem carentia perfectionis vel non est tanta, quin, supposito pacto et promissione Dei sub conditione talis operis, in illa sufficiens proportio et condignitas inveniatur, quamvis non esset undequaque perfecta et quasi connaturalis, vel certe posset Deus sua extrinseca ordinatione illum quasi defectum sufficienter supplere, quia necessario elevaret hominem illum ad eum statum, in quo consequi posset vitam æternam, si quod in se est faceret cum auxilio sibi præparato; ille autem status ad dignitatem moralem talis personæ pertinere censeretur, imo ad quamdam illius sanctificationem. Nam in superioribus ostendimus hoc totum posse Deum facere de potentia absoluta sine habitibus inhærentibus, vel per solos actus; ergo id etiam satis esse posset ut actus supernaturalis a tali homine factus redderet illum dignum vitæ æternæ, et consequenter ut esset meritum illius. Et hanc partem sequuntur frequentius moderni Thomistæ in d. quæst. 114, art. 2. Et inde tandem intelligitur cur dicatur gratia habitualis, ex lege ordinaria et quasi connaturali, esse necessaria ad hoc meritum, quia nimirum nec sanctificatio personæ, neque ordinatio ejus ad beatitudinem secundum statum præsentis temporis fit modo connaturali, nisi per inhærentem gratiam habituales, ut in lib. 7 visum est.

17. *Ad Baii fundamentum in num. 1. — Ad primam confirmationem ex Scriptura. —* Et per hæc satisfactum est rationibus dubi-

tandi circa hanc posteriorem partem a nobis propositis. Negamus enim esse in actu etiam supernaturali, seclusa gratia personæ operantis, sufficientem proportionem et valorem moralem ad meritum de condigno. Idemque responsum evidentius applicatur ad fundamentum Baii; negamus enim tantam proportionem esse in actu peccatoris ad meritum, quanta est in opere justi, etiamsi ex parte operis sit æqualitas in his quæ ad substantiam, vel honestatem, aut libertatem actuum pertinent, solumque sit diversitas in conditione personæ, ut jam probatum est. Ad loca vero Scripturæ, respondemus imprimis non oportere ut Scriptura in singulis locis explicet omnes conditiones ad meritum necessarias, et ita in illis locis, licet tantum exprimat necessitas operum, non excludi necessitatem gratiæ, quæ in aliis locis docetur. Deinde addimus opera esse quasi proximum (ut ita dicam) subjectum meriti et demeriti; nam illa quasi formaliter constituunt hominem dignum præmio vel pœna, et ideo merito dicuntur homines judicari secundum opera. Hoc autem non obstat quominus ipsa opera ex circumstantiis personæ operantis augeri possint vel minui in valore morali ad meritum vel demeritum necessario. Unde in comparatione, quæ ulterius fit inter meritum et demeritum, partim falsum assumitur, partim non recte colligitur. Absolute namque falsum est conditionem personæ non conferre ad meritum, nam peccatum, commissum a persona publica vel digniori, ex ea parte gravius esse solet. Deinde non est eadem ratio de merito et demerito, quia meritum habet rationem boni, et ideo plura et perfectiora requirit, et quod omnia simul concurrant, quia bonum ex integra causa; ad demeritum autem, quod habet rationem mali, quilibet defectus sufficit. Et ideo ad demeritum necessarium non est ut persona supponatur justa vel injusta, quia in ipso actu peccati est sufficiens defectus ad expellendam justitiam, si præerat, vel ad augendam injustitiam, si jam præcesserat; in merito autem speciali ratione dignitas personæ requiritur, ut diximus; eo vel maxime quod homo per se ad peccandum sufficit, ad merendum autem minime, nisi prius a Deo sanctificetur.

18. *Ad secundam confirmationem ex Augustino. —* Ad primum testimonium Augustini, respondetur ipsum, in illo cap. 6, non loqui

de lege naturali, prout dicitur esse in naturali lumine rationis, sed de lege incommutabili et æterna, prout est in mente Dei, quæ complectitur etiam illam legem, quam dicere possumus esse connaturalem gratiæ. Unde per illam legem absolute et generaliter statutum est ut debite præmia condignis meritis reddantur; tamen illa eadem lex aliud meritum, et cum aliis conditionibus statuit necessarium ad præmium vitæ æternæ, quam ad alia inferiora et humana, atque ita est ad singula juxta uniuscujusque conditionem applicanda. Ad aliud vero testimonium, ex lib. de Natur. et grat., cap. 2, respondetur intentionem Augustini eo loco esse ostendere contra Pelagianos, non posse hominem per suæ naturæ vires totam legem implere, et omnia peccata vitare, quia alias Christus gratis mortuus esset, quam illationem cum Paulo fecerat in cap. 1. Illam autem probat in secundo, supponendo illam hypotheticam propositionem, quod si homo potest sibi sufficere ad servandam totam legem et implendam justitiam, etiam sibi sufficere ad præmium vitæ æternæ obtinendum. Unde falso putatur sensisse Augustinum observationem legis sine gratia sufficere ad meritum vitæ æternæ, cum potius hoc inferat tanquam inconueniens contra Pelagium, supponendo aliud principium, quod ex verbo Christi certum est, servantem mandata ad vitam ingredi sempiternam; tamen hoc ideo est, quia, ut serventur mandata, præcedit gratia, ut idem Augustinus dixit, lib. 2 contra duas Epist. Pelag., cap. 2, et in aliis locis supra citatis.

CAPUT XV.

UTRUM AD MERITUM NECESSARIUM SIT HOMINEM ESSE VIATOREM?

1. *Communis sententia affirmans. —* Quomodo Scriptura probetur. — Conveniunt fere omnes Theologi, unam ex conditionibus necessariis ad meritum ex parte personæ merentis esse statum viatoris. Ita docet D. Thomas, 1 p., quæst. 62, art. 9, et 3 part., quæst. 1, art. 3; Alexand. Alens., 3 p., quæst. 17, art. 2, in corpore, et communiter Theologi in 3, distinct. 18, tractando de Christi merito; Bonaventura, artic. 1, quæst. 2, ad ult.; Scotus, quæst. unic., in fine corporis, ante § *Est igitur*; Durandus, quæst. 2; Gabriel, quæst. 1, art. 1, notab. 2, licet addat limitationes quas infra expendemus. Idem repetit

artic. 3, dub. 1, ad 3, et dub. 4. Idem Albert., ibi artic. 2, ad 1 et 3; Richardus, art. 1, quæst. 1; Almain., Argentin., et alii; et Marsilius, quæst. 12, artic. 1. Et restringendo quæstionem ad homines, prout nunc mereri possunt de condigno apud Deum, colligitur hæc resolutio ex illis Scripturæ locis, in quibus dicitur judicandos esse homines, et accepturos præmium vel pœnam, secundum opera quæ in corpore fecerunt. Item illa quæ monent ante mortem vel usque ad mortem justificari, seu opera justitiæ facere, ut Ecclesiast. 11, 14 et 18, et aliis similibus, quæ cum testimoniis Patrum retuli, 3 p., tom. 1, disput. 39, sect. 3, post 3 conclus., quibus addi potest Hieronymus in Epist. 151 ad Algasiam, quæst. 6, ubi tractat parabolam de villico, Luc. 16, et colligitur ex verbis illis conclusionis parabolæ: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; et idem Hieronymus, Eccl. 9, tractans illa verba: *Melior est canis vivens leone mortuo*, sic exponit: *Donec vivunt homines, posse fieri justos; post mortem vero nullam boni operis dari occasionem*; et iterum infra: *Viventes possunt bona opera perpetrare, utique meritoria, mortui vero nihil valent ad id adicere, quod semel secum tulere de vita*; et apud Prosperum est sententia Augustini 172: *Frustra sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit*. Et propterea etiam videtur Christus Dominus dixisse, Joan. 9: *Venit nox, quando nemo potest operari, utique meritorie, et cum fructu; per noctem enim mortem, seu statum post mortem intelligit; dixerat namque: Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est*, ubi per diem intelligit tempus præsentis vitæ suæ mortalis, ut cum Augustino et aliis ibi notat Maldonat., in qua etiam ipse tantum meruit. Unde in eodem sensu adjungit generalem sententiam, neminem posse in nocte operari. Vide Chrysotomum, homil. 2 de Lazaro, et homil. 73 in Matt. Ratio autem hujus veritatis pendet ex sequenti dubitatione.

2. *Ut ratione probetur, discutitur quid status viæ sit. —* Oportet igitur exponere quid per statum viæ intelligendum sit; nam si hoc non constet, neque ratio propria reddi potest cur talis status ad meritum requiratur, nec etiam explicari poterit quantum duret tempus merendi, quod per hanc conditionem præcipue intenditur. Igitur generaliter loquendo de via et termino, tempus viæ pro-

prie durare dicitur, quamdiu non est perventum ad terminum, quod maxime verum est, quando via successionem habet, ut est in præsentia. Ita ergo status viæ in præsentia dicitur totum tempus, in quo non est perventum ad terminum. Statim vero interrogandum occurrit quis sit iste terminus? Ad quod primo responderi potest, non esse unum terminum singularem et absolute designabilem, sed respective esse accipiendum. Nam omne præmium alicujus meriti est terminus respectu illius, quia meritum est via ad præmium. Unde respectu uniuscujusque præmii, tamdiu dicitur aliquis esse in statu viæ, quamdiu præmium non obtinuit, nec factus est incapax illius, et ita respectu visionis beatæ dicitur esse in via, qui illam obtinere possunt, et nondum obtinuerunt; et respectu alicujus augmenti gratiæ, qui illud non obtinuit dicitur esse in statu viæ respectu illius, secus vero erit de illo, qui talem gradum augmenti consecutus est, jam enim non est in via respectu illius, etiamsi aliquid aliud mereri possit. Et juxta hunc sensum facile patet ratio hujus conditionis, nimirum, quia meritum debet antecedere præmium, nec potest quis mereri quod jam habet. Et hac ratione utitur Durandus, supra, in qua hunc sensum indicat. Gabriel etiam ubi supra, inde infert beatos non esse in statu merendi, respectu beatitudinis quam jam habent, tamen ex se adhuc esse in statu merendi, vel sibi vel aliis, quæ non habent. Et in eodem sensu videntur fundati Alens., Bonaventura et alii, qui dixerunt sanctos Angelos et homines non posse mereri beatitudinem essentialem, posse autem accidentalem, quia respectu illius jam sunt in termino, cum illam habent, et augeri non possit; respectu vero alterius, adhuc sunt in via, quia nondum illam habent, et illam possunt acquirere per aliqua opera, vel ministeria, quæ extra beatitudinem exercent. Et declarari potest exemplo Christi Domini, qui, respectu suæ visionis beatificæ, a principio fuit extra statum viæ, et ideo illam mereri sibi non potuit, et nihilominus respectu gloriæ sui corporis et aliorum fuit in statu viæ.

3. *Prædicta explicatio variis exemplis confutatur.* — Nihilominus hæc explicatio mihi non placet, quia carentia alicujus perfectionis, quæ aliquando potest per meritum acquiri, non est sufficiens ratio ad constituendum statum viæ, seu quod idem est, statum merendi illud præmium, etiamsi persona sit

illius capax, vel etiam aliquando illud consecutura sit. Probatur exemplis, nam animæ beatæ carent unione et gloria corporum, et tamen non sunt in statu merendi illam, quia de facto illam non merentur, ut est verior et communior Theologorum opinio. Item animæ purgatorii carent visione beata, et sunt capaces illius, imo aliquando illam habebunt, et tamen certum est non posse jam mereri illam; ergo illa conditio non sufficit ad constituendum statum viæ aptum ad meritum, etiam in illo respectivo modo. Item, de Angelis (idemque est de aliis beatis) probabilius est non mereri sibi ipsis gloriam, etiam accidentalem, neque esse in statu viæ respectu illius, quamvis interdum illa careant, ut D. Thomas, supra in 4 part., docet. Imo etiam de Christo Domino probavimus in dicto tom. 1, loco citato, post mortem nec sibi neque aliis meruisse essentialia vel accidentalia præmia, neque effectus illos gratiæ aut gloriæ, qui ut meritum ejus postea facti sunt; ergo illa carentia præmii obtinendi non sufficit ad statum viæ, etiam respectivum, constituendum.

4. *Evasio.* — *Præcluditur.* — Dices in his omnibus exemplis præcessisse saltem meritum præmii, et hoc etiam obstare statui viæ in ordine ad meritum ejusdem præmii, sicut nunc non potest homo sibi mereri gradum gloriæ, quem jam meruit, etiamsi nondum illud præmium receperit. Sed neque hoc satisfacit, quia ex parte status non repugnat mereri iterum atque iterum idem præmium, ut in Christo Domino manifestum est. Quod si in nobis non contingit, ut verior habet doctrina, non est quia persona sit extra statum merendi, sed quia potest, et ex se intendit novum præmium mereri. Deinde illa responsio non potest ad animas purgatorii accomodari. Quamvis enim non possint mereri eandem gloriam quam in hac vita meruerunt, cur non possunt augmentum illius mereri? profecto non nisi quia non sunt in statu merendi essentialia præmia vel augmentum ejus, etiamsi meritum ejus in vita non habuerint. Aliud exemplum afferri potest de Elia et Enoch, qui, licet beati nunc non sint, non merentur neque idem præmium, quod prius meruerant hic viventes, nec novum, de quo exemplo plura in sequentibus. Igitur, formaliter loquendo, esse in statu viæ non esse in statu in quo nondum habetur præmium, sive simpliciter, sive cum illo addito, quod nec meritum ejus factum sit. Et revera

diversæ quæstiones sunt, an ad merendum requiratur status viæ, et an aliquis possit mereri quod jam habet, aut denuo mereri quod jam meruit, quæ confundendæ non sunt; et tertiam quidem, lib. 9, cap. 3, tractando de augmento gratiæ, tetigimus; secundam vero infra tractabimus; hic vero circa primam tantum versamur.

5. *Concluditur contra primum modum explicandi, et proponitur secundus.* — Concluditur ergo ex dictis statum viæ non esse respective explicandum, sed absolute assignare oportere aliquam vel aliquas condiciones, quibus status termini constituatur, in quo persona consequenter sit extra statum merendi. In declaranda igitur hujusmodi conditione, potest esse secundus modus dicendi, statum termini in bono, loquendo absolute ac simpliciter, in omni natura intellectuali esse statum visionis beatificæ, ad quam, tanquam ad ultimum terminum tenditur. Cum ergo via opponatur termino, status viæ erit status illius temporis, in quo nondum ad illum terminum perventum est, et ideo in statu illius termini cessat etiam status merendi, et consequenter totum antecedens tempus dicitur status viæ, et de se aptus ad meritum. Et videtur hoc esse consentaneum locis Scripturæ supra allegatis, in quibus judicium dicitur esse futurum secundum opera hujus vitæ. Juvat etiam quod Paulus ait 2 ad Corinth. 5: *Cum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem*; idem ergo est status fidei, quæ visionem excludit, quod status viæ. Item juvat quod in malis, tunc cessat status demerendi, quando ad ultimum terminum damnationis pervenitur, et toto præcedenti tempore durat status demerendi; ergo eadem proportione loquendum est in bono.

6. *Prædictus secundus modus partim probatur, partim impugatur.* — Hic modus dicendi proxime ad veritatem accedit, nam aliquid verum et necessarium ad statum viæ continet, non tamen integre rem explicat, vel certe exceptiones patitur. Et prima est de Christo Domino, cujus anima ab initio conceptionis fuit in termino visionis beatificæ, et nihilominus fuit in statu merendi, quamdiu in hac vita mortali vixit. Dicitur quod, licet a principio Christus fuerit beatus, non tamen plene quoad corpus et animam, et ideo secundum corpus fuisse in statu viæ, quia anima erat unita corpori mortali. Sed replicari potest, quia hac ratione etiam animæ nunc beatæ mereri possent, quia nondum habent

completam gloriam quam unitæ corporibus habebunt. Et, licet differant ab anima Christi quoad statum viæ ipsius, quia non sunt unitæ corporibus mortalibus, sicut illa fuit, hoc parum referre videtur, quia meritum non est in corpore, sed per se in sola anima esse potest. Videtur ergo necessario dicendum illud fuisse singulare privilegium animæ Christi ob excellentiam unionis ejus ad Verbum. Secunda exceptio erit de animabus antiquorum Patrum in limbo, quæ neque ad ultimum terminum pervenerant, neque erant jam in statu merendi. Ergo, licet ex generali regula carentia visionis sit necessaria ad statum merendi, non tamen illa conditio sufficit, sed aliquid aliud addendum est. Et tertia exceptio de animabus purgatorii idem probare videtur, nam est præcedenti similis, et fere ejusdem rationis.

7. *Supplementum pro secundo modo.* — Addi ergo potest, in hominibus statum viæ compleri per hoc quod anima sit conjuncta corpori corruptibili. Nam eo ipso, et ex natura rei, est etiam extra statum beatitudinis, quia anima in corpore corruptibili, ex natura talis status, non est capax visionis beatæ. Et licet ex privilegio et excellentia Christi aliud fuerit ejus animæ concessum, illud non mutat naturam talis status; est ergo de se status viæ. Et aliunde est etiam aptissimus ad meritum, quia et connaturale est animæ humanæ, ut, mediante corpore, suam perfectionem acquirat, et in illo plures habet occasiones merendi et pugnandi pro bravio beatitudinis comparando. Et hoc maxime confirmant illa testimonia, quæ dicunt in morte finiri tempus merendi, idemque confirmant exempla de animabus purgatorii et limbi.

8. *Instantia de Elia et Enoch.* — Sola una superest instantia, quæ est de Elia et Enoch, nam illi adhuc vivunt in corpore mortali, ut suppono, et nihilominus ab eo tempore, quo translati sunt, non merentur; ergo non sunt in statu merendi; absurdum est enim dicere esse in statu merendi, et non mereri; ergo ad constituendum statum merendi, non sufficiunt quæ diximus. Verumtamen illud quod in hoc exemplo assumitur, non est certum; nam Benedict. Pereir., lib. 6 in Genes., disput. de Enoch., quæst. 5, utramque partem probabilem existimat, scilicet, mereri nunc Eliam et Enoch, vel non mereri. Ego autem, in tom. 2 tertiæ part., disput. 55, sect. 4, probabilius dixi eos non mereri, quia in tam longa duratione et multiplicatione meritorum pos-

sent in præmio beatitudinis quoscumque sanctos multum excedere. Postea vero contrarium cum magna exaggeratione scripsit Viegas ad cap. 11 Apoc. comment. 5, sect. 4, num. 4. Movetur, quia illi adhuc sunt viatores, nam contra Scripturam et contra Ecclesiæ doctrinam est, vel ponere hominem, qui nondum obierit, extra statum viæ; vel asserere aliquem viatorem, qui adhuc a Domino peregrinatur, et ex fide vivit, esse extra statum merendi; non est autem ab hac regula recedendum sine sufficiente auctoritate vel ratione cogente; neutrum autem in præsentibus invenitur. Nam auctoritas non allegatur, et ratio a me adducta non cogit, quia respectu Beatissimæ Virginis facile potuit Deus prædestinare Eliam et Enoch ad magnam quamdam gloriam per merita totius illius temporis longævi consequendam, et nihilominus ad majorem gloriam Virginem prædestinare. Respectu vero aliorum Sanctorum, non censet inconveniens concedere perventuros esse Enoch et Eliam ad excellentiorem gloriam, quam sit in reliquis Sanctis omnibus. Non tamen audet concedere quod nunc Elias et Enoch intensiores actus charitatis eliciant, quam Joannes Baptista aut Paulus elicerunt. Unde etiam addit dici posse eos usque adeo parum mereri, eo quod careant carnis rebellionis operandique difficultate, ut multi eorum actus ad unum sive Baptistæ sive Pauli non perveniant, atque adeo ad eorum gratiam vel charitatem nunquam perventuros. Denique addit congruentiam, quia non congruit divinæ bonitati et liberalitati, imo indignum videtur divinæ munificentiae illos sanctissimos viros miraculose tanto tempore in hac vita detinere, et sine fructu meriti eos visione beatifica privari. Hanc vero opinionem, nostram sequendo, postea impugnavit Vazquez in loco infra citando.

9. *Auctoris judicium.* — *Enervatur motum pro Vieg. allatum.* — Ego vero in hoc puncto non contentiose agam, sed unumquemque in suo sensu abundare permittam, nam, ut dixit Augustinus, lib. 1 Genes., ad litter., cap. 18: *In obscuris, atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quæ possint, salva fide qua imbuimur, aliis atque aliis parere sententiis, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projicimus, ut, si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corrumpamus,* etc. Dicam tamen, immerito in hoc puncto Scripturæ vel Ecclesiæ auctoritatem

allegari, quia hoc ipsum quod supponitur, scilicet, Eliam et Enoch esse nunc in statu viatorum, nulla auctoritate Scripturæ vel Ecclesiæ firmari potest. Nam licet ex Scriptura et ex doctrina Ecclesiæ, habeamus homines mortales per fidem ambulantes esse viatores, loquitur Scriptura et Ecclesia de hominibus mortalibus sub conditione, lege, et statu mortalitatis viventibus, in quo numero Elias et Enoch comprehendi non possunt. Sicut etiam docet Ecclesia, et significat Scriptura, homines viatores filios Adæ, quando in hoc mundo vivunt, esse subjectos rebellionis carnis, et difficultatibus corporis in operatione virtutis, ut in lib. 9 ostendimus, et nihilominus non timet dictus auctor concedere Eliam et Enoch vivere sine rebellionis carnis, et sine molestiis corporis, quæ operationem virtutis difficilem reddant; ergo, licet Elias et Enoch mortales sint, non mortaliter vivunt, ut sic dicam. Unde punctum quod nunc tractamus est an ad statum viatoris proprium hominis filii Adæ pertineat, non solum in corpore mortali, sed etiam conditione mortali vivere. De quo puncto nihil Ecclesia hactenus docuit, nec tractavit, sed, ut dixi, viatores judicat omnes, qui lege et modo communi in corpore mortali vivunt. Imo sicut omnes homines viventes in corpore mortali censet esse viatores, ita e contrario omnes viatores (uno tantum excepto speciali privilegio Virginis) censet esse fomiti et rebellionis carnis, et impedimenti corporis mortalis aggravantis sensum multa cogitantem subjectos, et consequenter omnes viatores homines non solum esse mortales, sed etiam conditionibus mortalitatis subjectos; ergo non magis obest doctrinæ Ecclesiæ, Eliam et Enoch ab statu viatorum excipere, quam eosdem a subjectione fomitis et difficultatibus mortalis corporis excipere. Imo unum ad aliud satis consequens esse videtur.

10. *Enervatur amplius.* — Deinde, quamvis liberum sit unicuique opinari, etiam statum illum Enoch et Eliæ esse viatorum, et in eo mereri, recurrendo ad prædestinationem divinam, qua fieri potuit ut illi viri electi ad certum gradum gloriæ, neque infimum, neque nimium excellentem, sed moderatum, illum, per merita tam longo tempore consummata et ab ipso Deo cum proportionem præordinata, et non majorem consequerentur, quamvis hoc, inquam, sine repugnantia cogitari possit, considerandum nihilominus est an, consequenter loquendo, possit hoc recte

consistere cum aliis principiis de augmento sanctitatis per merita. Quis enim dicat illos sanctissimos viros, si mereri possunt secundum communes regulas aliorum viatorum, in tam longo tempore parum meruisse, solum quia rebellionem carnis, et difficultatem corporis non sentiunt, ac si excellentia meriti vel omnino vel præcipue ex his circumstantiis oriretur. Sic enim colligere posset aliquis meritum Beatissimæ Virginis non fuisse excellentissimum, quia nec fomitem, nec difficultatem in opere virtutis ex parte corporis sentiebat, sed solum illam, quæ in unoquoque opere virtutis ex objecto inerat. Deinde ad excellentiam meriti sufficit excellentia amoris, et promptitudo voluntatis. Non video autem qua probabilitate dici possit illos sanctos mereri ac meruisse semper augmentum charitatis diligendo Deum, et nihilominus nunquam pervenisse ad perfectionem, in qua possint tam intense diligere Deum uno actu, quam Paulus vel Joannes Baptista in via potuerunt, nam totum augmentum charitatis, quod merentur, statim illis datur, et semper diligunt, quantum per charitatem habitualement possunt, quia sine difficultate vel repugnantia amant; ergo incredibile est quod semper habeant actus adeo imperfectos, ut multi illorum uni actui Pauli vel Joannis non æquivalent.

11. *Responsio ad instantiam juxta auctoris sententiam, etiam nunc retentam.* — Quapropter rem hanc considerando sub prædestinatione divina, ut non immerito fit, suavius dici videtur elegisse quidem Deum viros illos ad eam excellentiam gloriæ, quæ ipsi placuit, ita vero præordinasse et quasi distribuisse merita, per quæ illam consequerentur, ut partim in tempore quo ante translationem in hac vita mortali vixerunt, partim in alio tempore, quando in fine mundi prædicationem et martyrium patientur, consummentur, etiamsi toto illo tempore intermedio sint quasi suspensi a merito, et extra communem statum viatorum constituti, et ideo verisimilius videtur, ex quo translati sunt, non crevisse in augmento habitualis gratiæ vel charitatis, sed ex tota illa semper et adæquate Deum diligere, et ideo hactenus non pervenisse ad perfectionem dilectionis Pauli vel Joannis Baptistæ. Neque propterea hoc mirabile consilium Dei esse contra illius liberalitatem, aut illis Sanctis infructuosum. Deus enim satis liberaliter egit cum illis, eos ad tales thronos gloriæ eligendo, et distribuendo illis gratiam ef-

ficacem, per quam suis temporibus illas sedes consequerentur. Quod vero hoc fiat temporibus continuis vel discretis, diuturnis, aut brevibus, hoc non minuit Dei bonitatem et liberalitatem, sed ad altiora consilia suæ providentiæ pertinet. Neque etiam hoc fit sine comodo et utilitate horum justorum; nam, licet visio Dei illis differatur, recompensatur maxime spe martyrii et futurorum meritorum cum magno gloriæ augmento, et interim felicissime vivunt in perpetua Dei contemplatione et dilectione, et in eo statu magna gratiæ et consolationis beneficia recipiunt, quatenus sunt illi statui consentanea.

12. *Assertio: meritum requirit statum viæ per fidem vitamque mortalem actam ordinario modo, qui non a sola rei natura, sed a divina simul ordinatione præscribitur.* — *Ostenditur ea prima conditione viæ.* — Hanc ego partem sustinendo, dicendum consequenter est statum merendi esse quidem statum fidei in vita mortali, quæ secundum communem et ordinariam legem in hoc mundo agitur, et ideo qui extra hanc legem et altiori modo hic vivunt, ad hunc statum viatorum pro tunc non pertinere. Ex quo, et ex omnibus dictis ulterius colligimus, hunc statum viæ non posse ex sola rei natura definiri, sed ex consilio et ordinatione divina pendere. Sicut in exemplo de currentibus in stadio, quo ad hoc explicandum utitur Paulus 1 ad Corinth. 9, tempus cursus et certaminis definitum est, ita ut neque antea, neque post illud aliquis possit promereri bravium; illius autem temporis determinatio ad Principem vel rempublicam præmia proponentem pertinet. Ita ergo in hoc cœlesti certamine, Deus solus est qui potest tempus viæ definire; quamvis enim in hac determinatione naturis rerum sese accommodet, necessarium semper est, ut juxta consilium voluntatis suæ aliquid addat, quod brevi discursu amplius declaro. Nam imprimis, quia decrevit Deus ut nulla pura creatura nisi per fidem ad visionem perveniret, ideo secundum legem communem prima conditio status viæ est, ut sit status fidei, ita, scilicet, ut vel habeatur, vel haberi debeat, quia per fidem ambulamus, seu ambulare debemus; nam infideles etiam viatores sunt, quamvis actu fidem non habeant. Hæc autem conditio, licet magnam congruentiam habeat, ut creaturæ intellectuales quasi credendo addiscant, et ut prius intellectum Deo submittant, quam ad illud videndum eleventur, non est ita necessaria ad meritum, quin pos-